

*Claudius.* pretantur nescio quam vere, Caius Caligula  
Pharum fecit. Sed nos de hac fusiis in insulis  
Britannicis.

Iam inde interior Britannia magis civilibus  
bellis, & partium studiis, quam Romanorum vi-  
ribus attrita, post varias clades ultro citroque il-  
latas, in Romanorum potestatem paulatim con-  
cessit. Dum enim singuli pugnabant, universi sunt  
victi, sic in mutuam perniciem ruentes, ut non  
nisi oppressi senserint omnibus perire, quod sin-  
guli amiserunt. Eo usque etiam plures falsos fie-  
ri subegit ambitio, ut nonnulli transfugerint, Ro-  
manorum fidem sequuti, & omnibus modis Ro-  
manis securibus patriam subjecere machinati. In-  
*Bericus.* ter hos præcipius Bericus, qui author fuit Clau-  
dio ut Britanniam nulli post. Cæsarem tentatam  
& tunc tumultuantem ob non redditos transfu-  
*A. Plau-*  
*tius.* gas aggrederetur. Ille autem Aulum Plautium tunc  
Prentorem exercitum in Britanniam ducere jussit, qui diffi-  
*Dio.* culter exercitum e Gallia abduxit, indigne ferentem, quod  
extra orbem terrarum bellum esset gerendum, multumque  
temporis cunctando extrahentem. Ast ubi Narcissus à  
Claudio missus tribunal Plautii ascendere, & exercitum  
alloqui instituit, tum majori indignatione milites accensi,  
conclamaveri confessim tritum illud, Io Saturnalia, (mos  
enim est Saturnalibus, ut id festum habitu dominorum ser-  
vi celebrent) statimque volentes Plautium secuti sunt. Co-  
piis in tres partes distractis, ne uno loco appellentes prohi-  
beri littore possent, retro acti à vento in transmissione non  
nihil molestiae senserunt: animo tamen recepto, quia fax  
ab ortu solis ad occidentem, qua navigabant, discurrisset,  
insulam adiecti sunt, nemine prohibente. Britanni enim  
cum ob ea que narravi, eos non adventuros credidissent,  
non convenerant: ideoque non congreſsi, in paludes se ac-  
sylvas abdiderunt, spe Romanos mora extrahendi, ut re-  
infecta discedere cogarentur, sicut Iulio Cæsari acciderat.  
Proinde Plautius iis indagandis multum laboris exhaustus.  
Postquam invenit, (erant autem non liberi, sed regibus  
diversis subjecti) primo Cataratum, post Togodumnun  
Cynobellini filios vicit. Patre autem mortuo fugientibus  
his, partem Bodunnorum in fidem accepit, qui Catuellanis  
parebant: præsidioque ibi relicto, ad fluvium quendam  
progressus est: quem quia sine ponte non posse à Romanis  
tranſiri Barbari credebant, sordidus in altera ejus parte  
caſtra habebant. Igitur Plautius Germanos misit, solitos  
etiam rapidissima flumina facile in armis tranare. Hi ho-  
stem inopinatum invadentes, neminem virum fauicarunt,  
equis tantum qui currus traherent, vulneratis, quibus  
turbatis neſſores quidem constare valebant. Tum Fla-  
vium Vespasianum (qui summo post Imperio potitus est)  
hujusque fratrem Sabinum legatum misit, qui ipſi etiam  
trajecto amne, permultos Barbaros improviso interfec-  
runt. Neque vero reliqui fugæ ſe dederunt, ſed poſtero die  
prælium incerta victoria conſeruerunt, donec C. Sidius Ge-  
ta cum prope in hostium potestatem venifer, ita eos vicit,  
ut ei propterea honores triumphales, quanquam Consul non  
fuiffet, dati ſint. Inde ſe barbari ad fluvium Tamifin, qua  
is in Oceanum ſe exonerat, eoque affluente stagnat, rece-  
perunt, eumque facile tranſerunt, locorum que firma &  
per via effent gnari: eos Romani inſequentes periclitati  
ſunt, mox cum Germani iterum tranſaviffent, ac ſuperiori  
loco per pontem quidam transgreſſi effent, undique Barbaris  
circumſuſi magnam ſtragem ediderunt, reliquos vero in-  
confutius conſectantes, in paludes in vias inciderunt, mul-  
tosque ſuorum amiserunt. His de cauſis, & quia Togodum-  
ni interitu non modo nihil remiſerant Britanni, ſed acrius

ad vindicandam ejus cladem bellum parabant, veritus  
Plautius ultra non proceſſit, ſed cuſtodia eorum que tenu-  
iſſet poſta, Claudio accepit: jufſus id facere, ſi quid  
violentius eveniret: ad quam expeditionem cum multa  
parata erant, tum elephanti contrac̄ti. Claudio accepto *Elephantis.*  
nuncio res urbanas, ac milites etiam Vitellio collega ſuo,  
(cui Consulatum itidem uti ſibi, ad ſex menses dederat)  
mandavit, ipſe ab Urbe Ostiam devectus navigio inde  
Maſiliam, reliquoque itinere partim terra, partim mari  
facto, ad Oceanum venit transmisitque in Britanniam, &  
ad copias ad Tamifin ſe expectantes perrexit. Quibus ad  
ſe receptis, transgreditus fluvium, cum Barbaris, qui ad  
ejus adventum convenerant, ſignis collatis dimicavit,  
victoriaque potitus est, & Camalodunum Cunobellini re-  
giā cepit, multoque inde vi, alios deditione in ſuam po-  
teſtatem accepit. Ob hęc aliquoties Imperator dictus est,  
contra inſtitutum Romanorum: neque enim ſepiuſ quam  
ſemel licet uno de bello id nomen adiungere. Porro Britannis  
Claudius arma ademit, Plautioque eos regendos, ſubigen-  
disque reliquos mandavit, ipſe Romam contendit, generis  
ſuis Pompejo & Silano cum nuntio victoriae premiſis.  
Sic Dio. Veruntamen Suetonius ſine ullo prælio,  
aut ſanguine partem insulæ in deditioñem acce-  
piffe tradit. Sedecim plus minus diebus ipſe in  
Britannia mansit. Quo tempore bonorum publi-  
cationem primoribus Britannorum remiſit, pro  
quo beneficio ejus templum coluerunt, & ut  
Deum orarunt. Sextoque quam profectus erat  
mense, Romam rediit.

Tantum erat vel tantillam Britannia partem  
debellaffe, ut hinc Claudio annuos ludos, arcus  
triumphales & in Urbe, & Gessoriaci Galliæ,  
splendidissimumque triumphum decreverit Se-  
natus, ad cuius ſpectaculum etiam provinciarum  
præſidibus, & quibusdam exulibus in urbem  
commeare permifſum. Navalis corona fastigio *Plinius.*  
Palatinæ Domus, quaſi Britannici maris domiti  
inſigne, fixa, Coronas aureas contulerint pro-  
vinciæ. Gallia Comata unam ix pondo, Hispania  
citerior alteram vii pondo. Per gradus in  
Capitolium genibus adſcendit, levantibus eum  
utrinque generis. Mare Adriaticum prægrandi  
domo verius quam nave triumphans intravit.  
Meffalinæ uxori primus in conſeffu locus, & ut  
carpentio veheretur decreta fuerunt à Senatu.  
Deinde ludos triumphales edidit, accepta ad id  
Consulis potestate. Hi ludi in duobus ſimul thea-  
tris exhibiti ſunt, ac ſepiuſ ipſo à ſpectaculis di-  
grefſo, alii ea curarunt. Equorum certamina  
tot promiſit, quo dies illi admitterent, plura tam-  
en quam decem non fuere, nam inter equo-  
rum curſum ursæ cædebantur, athletæ certabant,  
pueri ex Asia evocati pyrrhicam saltabant. Va-  
lerio etiam Asiatico, Iulio Silano, Sido Getæ &  
aliis ob hanc victoriam ornamenta triumphalia  
congeſſit. Licinio Crasso Frugi equo phalerato,  
& veste palmata ipſum triumphantem ſequi per-  
miſit, Posidio Spadoni haſtam puram, C. Ga-  
vio torques, armillas, phaleras, coronamque au-  
ream, ut in antiquo marmore Taurini videre eſt,  
donavit.

Interim belli reliquias tam ſecundis præliis  
prosequutus eſt Aulus Plautius, ut illi ovationem  
decreverit Claudio, ingressoque urbem obviam  
progressus, & in Capitolium eunti, & inde rur-  
ſus revertenti latus texerit, id eſt laevius inceſſe-